

rector non possit sufficere, episcopus potest cogere rectores ut tot sibi adjungant adjuutores quot suffieiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. Atqui si episcopus adjungat paroebo vicarios, consequens est ut illorum sustentationi consulat, cum nemo militet suis stipendiis, cum dignus sit operarius mercede sua. Unde si oblationes non suffieiant, remanet ut ministris competens assignetur portio, arbitrio episcopi, ex fructibus ad ecclesiam quomodocumque pertinentibus, quemadmodum idem concilium statuit pro nova parochia quæ ex prioris dismembratione formatur. Præterea ex cap. 13 sess. XXIV, " in parochialibus ecclesiis quarum fructus adeo exigui sunt ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit episcopus ut per assignationem primitiarum vel decimarum, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut *qua commodiori ratione ei videbitur*, tantum redigatur quod pro rectoris, aut parochiæ necessitate decenter suffieiat."

3^o Titularis ecclesiæ, cui bona fuerunt attributa, est horum bonorum administrator, sed sub auctoritate episcopi.

Cum titularis sit de jure principalis bonorum ecclesiæ suæ administrator, tenetur administrare sive per se, sive per fabricam eum ipso. Administratio complectitur actus necessarios ad conservationem bonorum, curam providendi ex redditibus eorumdem bonorum necessitatibus cultus publici. Quapropter parochi et rectores ecclesiarum tenentur :

a) Inventarium facere rerum, bonorum et reddituum ad ecclesiam pertinentium, sive immobilium, sive mobilium, atque hujusmodi inventarii unum exemplum episcopo tradere, in archivio episcopali asservandum, alterum propria manu subscriptum inter ecclesiæ libros seu scripturas retinere. Const. *Cum primum* Pii V, Ap. 1666.

b) Providere ut cuncta sarta tectaue serventur, adeo ut in melius proficiant potiusquam detrimentum patiantur.